



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. De memoria, & reminiscentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

CONCLUSIO III.

12. *Anima separata potest se, & alia corpora mouere localiter.* Hæc est *Doctrina* in 4. dist. 10. q. 6.

*Probat*ur primo, ex descensu animæ Christi ad inferos, & ex apparitionibus multarum animarum in diuersis locis.

Dicitur, motus locales illarum animarum esse miraculosos à Deo, non autem ab animabus virtute propria. *Contra*, non est neganda illa virtus animabus absque ratione, nulla autem est ratio ob quam negetur ipsis.

*Probat*ur secundo, quia Angelis competit illa virtus mouendi se & alia; ergo & animabus à paritate rationis, quia quantum ad hoc nulla est differentia inter illa.

Confirmatur, quia si negaretur hæc virtus animabus, vel ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis. Non ratione perfectionis, quia conuenit Angelis perfectioribus; neque ratione imperfectionis, quia conuenit corporibus imperfectioribus.

Confirmatur secundo, quia licet anima habeat aliquas intellectiones dependentes à corpore, habet tamen in statu separationis alias intellectiones independentes à corpore, quas non potest exercere in corpore; ergo similiter non est inconueniens quod habeat virtutem motiuam dependentem à corpore, & virtutem etiam motiuam independentem à corpore in statu separationis, qualem virtutem nequit exercere in corpore. Et per hoc ac exemplum de Angelis difficultates omnes, quæ opponi possunt, facile solui possunt.

13. *Si tamen quæras*, an mouere possit corpus per impulsu sibi, sicut vnum corpus mouet aliud:

Respondetur eodem modo posse animam mouere, quo Angelus mouet; vtrumque autem dico posse mouere per impulsu; quia alias non possent prolicere corpora, sed deberent necessario comitari illa corpora quæ mouerent.

Deinde non est difficilius Angelo aut animæ producere ipsum motum localem, aut vbi corporeum quam impulsu corporeum; ergo si possunt vbi aut motum, possunt etiam impulsu. Sed possunt producere vbi aut motum in corporibus, vt fateatur Suarez, & patet, quia alias non possent mouere corpora: ergo possunt producere impulsu. Et hæc de anima sufficiant ad laudem & honorem Dei, &c.

DISPUT. X.

De Paruis Naturalibus.

PHILOSOPHVS octo libellulos de affectionibus quibusdam ad animantia spectantibus scripsit, quos communiter *Parua naturalia* appellant, & vel complementum sunt præcedentis tractatus, vel certe vnum cum illo integrum tractatum conficiunt, corpus animatum pro obiecto adæquato habentem. Quæ ergo in his octo libris digniora consideratione sunt, in hac disputatione examinabuntur, cuiuslibet libro vnica quæstione assignata.

QVÆSTIO I.

De Memoria & Reminiscencia.

MEMORIA in actu primo est potentia illa, qua recordari possumus rerum antea cognitarum. Hoc est, quia possumus cognoscere, quod aliquando cognouerimus res, quas ante cognouimus. Memoria vero in actu secundo, est ipsamet recordatio, seu cognitio, qua sic cognoscimus. Reminiscencia vero est, recordatio huiusmodi habita median- te inquisitione, & progressu ex alijs recordationibus, aut cognitionibus: vt si quis recorderetur beneficij recepti ab vno homine, ex eo quod recorderetur ipsiusmet hominis, aut quod videat alium hominem similem illi.

Dari memoriam *sensitiuam* in animantibus, & simul cum ipsa *intellectiuam* in homine, illamque non distinguere realiter à sensu communi, nec hanc ab intellectu, suppono ex dictis in libris de anima, quæ non videbantur repetenda.

Hic autem aduertendum, memoriam, vt memoriam in actu primo, non solum habere recordari, & reminisci; sed etiam ad eam spectare proponere cum facilitate species accepta, etiam illas, quibus intelligimus res ante cognititas, sed non vt cognititas; nam dicitur committere memoriam illas species, quando sæpius obiecta nobis proponimus ad hoc; vt facilius postea possimus illa obiecta nobis proponere; & qui orationem, aut discursum aliquem audire, aut lectum facile reperiunt, & proponunt sibi, quamuis non cognoscerent actu quod antea illum cognouerint; dicuntur bonæ memoriam.

2. *Quæritur* solet, an omnibus animantibus conueniat memoria.

Respondetur in primis non esse necessarium ex ratione animalis vt sic, aut animæ sensitiuæ vt sic, quod quodlibet animal habeat memoriam, quia optime potest concipi aliquid esse animal, & habens animam sensitiuam, quin intelligatur habere memoriam; neque potest ex eo, quod aliquid sit animal, aut habens animam talem recte concludi, quod habeat memoriam.

Deinde non est aliquid ex parte animalis, aut animæ sensitiuæ vt sic, cui repugnat vis memoratiua; vnde solum à posteriori colligi potest ex actibus aliquibus, an omnibus animalibus conueniat, necne, & si in omnibus, quibus: Difficile autem est habere experientiam illam de omnibus, apparet autem satis manifestè in aliquibus, vt in auiibus, canibus, similibusque, quæ habent virtutem locomotiuiam, & accedunt ad locum vbi bene tractantur, recedunt vbi male; in conchis vero, quæ non habent virtutem locomotiuiam, qua ab vno loco in alium progredi valeant, licet in eodem loco contrahant partem læsam, non adeo patet experientia memoriæ, vnde *Conimbricenses* hic negant eam illis, quibus tamen eam attribuit *Auerſa* q. 5. i. sect. 4. quia patet verisimile esse quod recorderentur doloris, & quod propterea tacta retrahunt se etiam antequam lædantur. Quod si huiusmodi animalibus ea facultas data sit, non est sine dubio neganda piscibus, quidquid dicat *Albertus*, nam & locomouentur, & repetere solent eadem loca, & ita expresse tenet *D. August.* 3. de *Genesi* ad litteram. Ad memoriam bonam conducit & aliqua mollitudo ex parte organi, qua facile possit recipere species, & aliqua durities qua eas melius conseruet: hoc tamen intelligendum de memoria sensitiua, nam intellectiua vt pote spiritalis, duritiei & molitiei incapax est. Alia auxilia extrinseca, vt exercitatio & ars, quæ dicitur memoriæ, & medicamenta quædam & impedimenta varia ipsius, experientia tam nota sunt, vt de iis hic non sit discredendum.

QVÆSTIO II.

De Somno, & Vigilia.

3. *Conimbricenses* hic *Vigiliam* describunt esse omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutionem, seu libertatem; *Somnum* vero esse omnium sensuum externorum ligationem ad animantium quietem & salutem institutam.

Contra quam descriptionem primo opponi posset, quod non magis ad somnum videatur exigi quod sit ligatio omnium sensuum, quam ad vigiliam, quod sit omnium solutio. Sed hac difficultas est tantum de nomine, nam si nomen *vigilia* non esset impositum ad significandum solutionem aliquarum potentiarum externarum, certe diceret sine dubio solutionem omnium: & si *somnus* imponeretur ad significandum ligationem aliquorum sensuum, & non solummodo omnium, non requireretur ad ipsum ligatio omnium.

Verum cum de facto non detur status aliquis medius

D d d

honi

Vtū om-
ne animal
habeat
memoria.

Conchæ
habent
ne me-
moria.

An pisces
habent
memoria.

Quid si
nisi, & vi-
gilia.